



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Analysis Methodica Ivris Pontificii

Venator, Daniel

[S.l.], 1579

VD16 V 541

De Eo, Qvi Dvxit In Matrimonium, quam polluit per adulterium. Titulus VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

verum etiam contractum dirimit, c. rursus, extr. eodem. & c. meminimus, & c. insinuante, extr. eod.

DE EO, QUI DVXIT IN MATRIMONIUM, quam polluit per adulterium.

Titulus VII.

Sicuti sacer ordo, & emissum votum, ita pollutio thori, vel eius mulieris, quæ sciens adulteri vxorem in viuis esse, prostituta omni pudicitia, se ipsi exponit nuptijs contractis, vel postea contrahendis, impedimento est, circa hunc titulum collige regulas:

Prima. Si maritus, viuente vxore, contrahit cum secunda, quæ scit, primam vxorem esse superstitem, prima demortua, matrimonium consummari non permittitur. Et si consummatum & libeti procreati sint, tamen rescinditur, et si contrahentes longo tempore cohabitauerint, c. ex litterarum, & c. cum haberet, extr. eod.

Secunda. Si maritus, viuente prima vxore, rem habeat cum alia, quæ in mortem primæ vxoris machinata sit, siue superstitem sua vxore fidem de matrimonio post mortem contrahendo illi dederit, siue non, tamen consortium prohibetur, c. super hoc, eod.

Tertia. Si quis, mortua vxore, contrahit cum ea, quam viuente vxore, nulla data ei fide de matrimonio contrahendo, cognouit: nec alteruter in mortem defunctæ vxoris fuerit machinatus, tenet matrimonium inter illos contractum, c. significasti, extr. eod.

Quarta

Quarta. Si quis, vxore viuente, fide data promisit, aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante, nec post, legitima eius superstita, cognouit eandem: quamuis vtriusque ipsorum pro eo, quod in hoc grauius deliquerint, sit poenitentia iniungenda, non est tamen matrimonium, quod cum eo contraxit post vxoris obitum dirimendum, c. si quis, ext. eod.

Quinta. Maritus aliam ducens vxorem, quae ignorat ipsum alij vxori matrimonio esse alligatum, mortua prima, nouo consensu interueniente, secundam habere, vel, ad eam redire, tenetur, c. veniens, & c. propositum, extr. eod.

DE CONIUGIO LEPRO- forum.

Titulus VIII.

Leprosus rescindit sponsalia de futuro: Non autem matrimonium contractum, ita, ut si sponsus vel sponsa lepra inficiatur, alteruter, qui tali morbi vitio non laborat ad perficiendum matrimonium non compellatur, sed liberè cum alio contrahere possit, c. literas, extr. eodem. Coniuges verò, cum alter alterius miseriam obtingentis debeat esse particeps, ob lepram, qua alteruter inficitur, nullo modo separari, sed sibi inuicem cohabitare & se coniugali affectione tractare debet. Quod si autem sanus morbi contagione reformidando coniugale debitum prestare detrectet, ad obseruantiam perpetuae continentiae, excommunicationis censura compellitur, c. peruenit, extr. eodem. Nec lepra matrimonio contrahendo prorsus impedimento est. Quocirca poterit